

## JACOB BALDE

TEMPLUM HONORIS APERTUM VIRTUTE FERDINANDI III AUSTRIACI REGIS ROMANORUM.  
 (465 vers)

- T1 v.1 Salve Deorum, qui Patriae Patres,  
 2 curis et armis Imperium regunt,  
 3 verende custos Ferdinandi  
 4 et decus et columnen Secundi  
 5 succede nostro, Dive, palatio.  
 6 Ne sperne conchas et vitreos toros,  
 7 mixtasque verbenas smaragdis,  
 8 quas virides tibi praeparavit  
 9 me nata Nais. Si tenues opes  
 10 dignare mensa, non equidem graves  
 11 promitto turdos, aut volucres  
 12 Phasiacas, Numidaeque cortem,  
 13 sed dona vultus qua bonus optima  
 14 facit. Superbam nos fluvii gulam  
 15 nequiquam habemus. Hospes, aude  
 16 spernere delicias : ab udo  
 17 salmone supplex obsequium cape.  
 18 Vivax bonaque est indolis, et sapit.  
 19 Interque pisces educatos  
 20 non humilis natat ista squama.
- T2 v.1 At non vana meam placant solacia mentem,  
 2 quam luctus maerorque gravant, cognataque bellis  
 3 supplicia exercent, ipsis deflenda Gelonis.  
 4 Illa ego, quae quondam Regina, sororibus ibam  
 5 Altior, et Superis etiam formosa videbar,  
 6 votum immane Procis, in quae modo funera damnor.  
 7 Quos patimur manes ? In qualem labimur umbram ?  
 8 Tot ventis promor ac turbis, tot fluctuo curis,  
 9 pectus ut Aeolia non sit mihi mitius aula,  
 10 Di, quibus invitis Romanam intravimus : urbem,  
 11 quando meis lacrimis vestras satiabitis iras ?  
 12 Omnia vastarunt flamma, cum moenibus hausti  
 13 in cinerem sedere Lares, ego fessa tot annis  
 14 denique procumbo, nimis exercita Fatis ;  
 15 pendentes sulcata genas, lacerata capillos.  
 16 Victa malis. Morimur, totoque e corpore manant  
 17 stridentes tabo rivi, campisque vagantur.  
 18 Adde genus probri ; chalybem consumpsimus ore,  
 19 devotum Cereri ; conflatus vomer in ense  
 20 cessit, et attritos nunc fert vagina ligones.  
 21 Qua pes cumque movet gressum, plorare puellas  
 22 audio, et oppressas, rapti post damna pudora,  
 23 atroci gemitis maternum tundere bustum.

24 Quid memorem pretium mortis, multoque redemptas  
 25 exequias auro ? Quid plenas civibus urnas,  
 26 plus quam Sullana Sueci venisse sub hasta ?  
 27 In cuna sivit gladius, floremque secutus  
 28 sanguinis, infantum nascentia stamina rupit.  
 29 Quae mensura mali ? Nondum complevimus omen,  
 30 quod nigrae cecinere Deae ? Dabiture dolenti  
 31 tristius augurium ? Rursus cum grandine fulmen  
 32 Vandalicum, tortisque pluens hastilibus aether  
 33 crescentem pulsabit humum ? Reducesne catervas  
 34 Gustavi, caeloque novum spectabo cometen ?  
 35 Scilicet hoc superest, ut diris caesa flagellis,  
 36 collum obtorta trahar ; spoliisque ignobilis Hunni  
 37 ducar in aeterno damnatas frigore terras.  
 38 Aut pecudum ritu, Getica percussa securi  
 39 immoler, inferias super injicienda sororum.

T3 v.1 Romanum Genium dicite Najades,  
 2 Germano genio ludite Najades :  
 3 depictisque phaselis  
 4 nostrum scindite caerulum.  
 5 Felicem genitum dicite Caesare,  
 6 illi, qui genuit, ludite Caesari.  
 7 Fama notus uterque  
 8 jam pridem super aethera.  
 9 Hic Fasces capiet, quos et Iulio  
 10 Rudolphoque Pio Gloria praetulit :  
 11 cunctis altior, uno  
 12 vivit Patre suo minor.  
 13 Respirent fluvii sanguine lividi ;  
 14 nec brumam timeant. Quam Boreas jacit,  
 15 insultentque catenis,  
 16 quas vis Suetica nexuit.

T4 v.1 Plaude nympha Ferdinando,  
 2 plaude nympha Tertio.  
 3 Age salta, Dea triplex. Aqua et aer  
 4 pede nunc sunt saluari quatienda.  
 5 Corybantum strepitus, et thyasorum  
 6 choreas et citharoedos imitetur.  
 7 Plaude nympha Ferdinando,  
 8 plaude nympha Tertio.  
 9 Date rores, date flores, date sarta  
 10 hyacinthi, et violarum ac amaranti.  
 11 Rosa vernet calathiscis ; fluvioque  
 12 vitreo se speculatus adolescens.  
 13 Cinge nympha Ferdinandum,  
 14 cinge nympha Tertium.  
 15 Modo noster chorus illum celebrabit :  
 16 tumidos dum mare fluctus, aqua pisces,  
 17 fera saltus, avis auras agitabit ;  
 18 et ab uno fluet ungue Aganippe.  
 19 Plaude nympha Ferdinando,  
 20 plaude nympha Tertio.  
 21 Canet illum Helicon et chorus iste :  
 22 vaga donec glomerabit polus astra ;

- 23 et anhelum Phaethontis super axe  
 24 genitorem feret Athon et Eous.  
 25 Cinge nympha Ferdinandum,  
 26 cinge nympha Tertium.
- T5 v.1 I nimis felix, Jovis i Satelles,  
 2 Caesarum custos, metuende rostro,  
 3 fulminum raucis metuende nimbis,  
 4 flammiger Alen.  
 5 Tu Quirinales Oriente colles  
 6 crastino vises Italasque terras,  
 7 quodque delusi ferit astra Brenno im-  
 8 -mobile saxum.  
 9 Tu salutabis Latium, superque  
 10 arduas Romae gradieris arces ;  
 11 et Remi sparso madidam videbis  
 12 sanguine fossam.  
 13 Quem vehis regnis Genium Supremis  
 14 Tusciae fines Ligurumque noscent.  
 15 Forte jam tollit caput altus Apen-  
 16 -ninus in auras.  
 17 Clange, quum montes Tiberim que cernes.  
 18 Sed sono lenili tuoque pacis,  
 19 tertii crebra sacra Ferdinandi  
 20 nomina misce.  
 21 Rupe Tarpeia tua frena solvet  
 22 Romuli lictor reparabis illic  
 23 perditas vires, bibiturus ignem  
 24 nobilis astri.  
 25 Admove soli caput, ut liquorem  
 26 aureum libes, oculos in altum  
 27 tolle : formosi Phaethon propinat  
 28 luminis haustum,  
 29 sic Deo visum. Trabeatus inter  
 30 alites consul legionis alas  
 31 plumea censes, regis et volantum  
 32 castra Quiritum.
- T6 v.1 Pande fores gemino Regi, licet unus et idem  
 2 sit Geminus. Poterit titulo quocumque mereri.  
 3 Omen habet vocem Phoebi tonitruque sinistrum  
 4 sensit, et ex celebri praesagia consona luco :  
 5 et clangens addixit avis si signa notasti ;  
 6 Regem, quem petimus, totus sibi vendicat Orbis  
 7 aetatem vincit Virtus. Quam fortis in hostem  
 8 irruat, umbrarum genitrix Nordlinga loquetur.  
 9 Fumat ad huc campus memoranda strage, volamque  
 10 atque ululant circum semesa cadavera Manes.  
 11 Invictam dignare manum Nati ab Jove summo :  
 12 imperii pridem qui jam defensor habenas  
 13 sustinet ; et patrio stantes in pectore curas  
 14 attrectat. Placidoque facit subsidere motis.  
 15 Sis facilis generose Deum, portaque reclusa  
 16 indue Romano meritum caput ocuis auro  
 17 non insueta dabis. Fatum est, quod poscimus omnis.

- T7 v.1 O ! quem te memorem toro  
 2 fulgentem Tyrio, versicoloribus  
 3 effultum radiis Deum  
 4 salve noster honor terror inertium,  
 5 virtutis rigidae comes,  
 6 merces militiae non ita siderum  
 7 lucent aurifluae comae  
 8 ad Lunae speculum, ut caesaries tua.
- T8\_1 v.1 Non solet alto  
 2 stertere somno.  
 3 Sed vigil omni  
 4 excubat hora.
- T8\_2 v.1 Non pigra vallibus  
 2 serpit in infimis :  
 3 sed subit in via  
 4 Acroceraunia.
- T8\_3 v.1 Non salit ad numerum  
 2 admodulante lyra :  
 3 sed graviore pede  
 4 ardua calcat humum.
- T8\_4 v.1 Non rosas vel irides  
 2 carpit ungue floridas :  
 3 sed comasque Daphnidis,  
 4 Herculisque Populum.
- T8\_5 v.1 Non mortis timet arcum,  
 2 et fatalia tela :  
 3 sed Morti sine palpo  
 4 dicit. Nox mea salve.
- T8\_6 v.1 Non Zephyrum, vel auram  
 2 quaerit Etesiarum :  
 3 sed resonantis Euri  
 4 flabra, tubamque Martis.
- T8\_7 v.1 Non, ut obtusi Phryges,  
 2 laesa post ictum sapit :  
 3 sed notans arcum cavet,  
 4 antequam telum volet.
- T8\_8 v.1 Non excitat salaces  
 2 flammis Anacreontis :  
 3 sed frigido lavatur  
 4 Hebrae liquore fontis.
- T8\_9 v.1 Non nascitur de palmite,  
 2 madens et uvis turgida :  
 3 sed nascitur de pulvere  
 4 magni laboris filia.
- T8\_10 v.1 Nulla fila, nulla pensa  
 2 pectinatve circinatve :  
 3 sed cruenta Martis arma

- 4 evibratque turbinatque.
- T8\_11 v.1 Non Fortunam timet illa levem,  
2 nec foeda rotae basia figit :  
3 sed per faciem colapho ducto,  
4 spernitque bonam, ridetque malam.
- T8\_12 v.1 Non sesquipedalibus implet  
2 verbis facunda Senatum :  
3 sed sanguine sparsa perorat,  
4 et ferro verba resolvit.
- T8\_13 v.1 Non teneris vehitur columbis  
2 Idalio rapienda curru :  
3 sed volucres agitat Tonantis  
4 nube super, rapidumque fulmen.
- T8\_14 v.1 Non laeve crystallum Padive  
2 Electra quaerit fixa ripis  
3 sed ad rubentes caede Cannas  
4 scrutatur annulos equestres.
- T8\_15 v.1 Non tantum eburnis postibus atrii  
2 Macras avorum figit imagines :  
3 sed ipsa imago nobilior sibi est ;  
4 nec debet ullis Manibus hoc decus.
- T8\_16 v.1 Non ab impuris suam Procis  
2 sustinet zonam resolvier :  
3 sed nives castique pectoris  
4 servat illibata lilia.
- T8\_17 v.1 Non lunas gerit, et decoris  
2 suras astragalis revincit  
3 sed multo graditur per hostem  
4 Bellatrix cataphracta ferro.
- T8\_18 v.1 Non odorum spirat amomum,  
2 et Sabaei balsama trunci  
3 sed fragrat Virtutis odore.  
4 Nil olere, hoc est bene olere,
- T8\_19 v.1 Non plena gemmis frena vel ostro  
2 fucata tractat, qualia Medus  
3 sed more Thracum gyrat in orbem  
4 jumenta fulvis absque lupatis.
- T8\_20 v.1 Non levis a populo desiderat  
2 laudibus extolli super aethera  
3 sed benefactorum conscia,  
4 ipsa sibi Roma est amplissima,
- T8\_21 v.1 Non Melitenses mulcet in otio  
2 blanda catellos, aemula Lesbiae  
3 sed domat armis, Herculis aemula.  
4 Sed domat ipsum. Credite Cerberum.
- T8\_22 v.1 Non tecta flavis laqueat corymbis ;

- 2 nec cingit hortos viridi cupressu  
3 sed militares habitat cavernas.  
4 Pyrrho, Camillo, Curiisque notas.
- T8\_23 v.1 Nec agente flammam Sirio poscit  
2 sibi ventilari molle flabellum.  
3 Sed ut est in armis, ambulans clamat ;  
4 quid agis piger Sol ? Nondum enim sudo.
- T8\_24 v.1 Non emit famam consulumque fasces ;  
2 nec manus vulgi dantis osculatur :  
3 sed verecunde Patriae faventis  
4 annuit votis, et rogata regnat.
- T8\_25 v.1 Non juga Taygeti nemorosa ;  
2 vel Triviae sacra Maenala lustrat :  
3 sed silvas frondosaque Phlegrae  
4 in pharetras et spicula frangit.
- T8\_26 v.1 Non ut Argivum Regina portat  
2 Leda nocturnum decepta olorem :  
3 sed Jovi indignans, et cauta stupri  
4 clamat ; exesto pro cygne nequam.
- T8\_27 v.1 Non lineis implens palimpsestum,  
2 sumptus avara computat creta :  
3 sed pulchra fastis facta transmittens  
4 juxta Sibyllae carbasum ponit.
- T8\_28 v.1 Non in devictos furit, instar ursi,  
2 immitis, crudelis, atrox, cruenta,  
3 sed magni flagrans genio leonis,  
4 parcit subjectis, subigit Superbos.
- T8\_29 v.1 Non ambit sanie muricis Oebali,  
2 nec baccis onerat serica vellera :  
3 sed Bruti chlamydem, Fabricii togam  
4 serranique sagum consulis induis
- T8\_30 v.1 Non lacertis, ut Milo, solis  
2 fidit expers consili miles :  
3 sed futuri provida mente  
4 temperatas provehit vires.
- T8\_31 v.1 Non coloratum psittacum linguae  
2 garrulae, vanis nutrit impensis  
3 sed Caballum de Martiis unum,  
4 qui tuba signum dante. Dic it vah !
- T8\_32 v.1 Non indecora lacrima madefit,  
2 Cum mille morbis aut malis premitur  
3 sed pressa in ipsis vinculis barathri  
4 Atheniensis, vel canit vel amat.
- T8\_33 v.1 Non movet talos, nec Cane jacto  
2 aleam allatrans ringitur ira  
3 sed super ripas, ad Rubiconem  
4 clamat exsultans, alea jacta est.

- T8\_34 v.1 Non saliaribus modulis jocatur,  
2 vecta tribus Syris, quatuor liburnis  
3 sed lituis fremit, clypeisque motis  
4 nubibus insidens geminat fragores.
- T8\_35 v.1 Non veluti de nube cadens procella  
2 attonito subvertit opes colono  
3 sed miseris quacumque volat, sonante  
4 agricolis effundit opes quadriga
- T8\_36 v.1 Non tonitru pavet, cum tota manu  
2 terrificum jacet tela Jupiter  
3 sed Jove nubilo non est nubila,  
4 si tonat, exsilit, ridens fulmina,
- T8\_37 v.1 Non solet in jugulis ludere civium ;  
2 nec gladiis oculos justitiae eruit  
3 sed metit Otrysiis hostibus incubans,  
4 stantia Pannonicis colla bipennibus.
- T8\_38 v.1 Non in Sidonio recumbit ostro ;  
2 aut testudineum super grabatum  
3 sed duro jacet explicata saxo,  
4 Cum vult Herculeum videre somnum
- T8\_39 v.1 Non cerussa faciem colorat,  
2 aut prostans ad speculum refingit :  
3 sed conciso, quibus ardet ore,  
4 horrendis vulneribus superbit.
- T8\_40 v.1 Nec in herba sternit corpus marcidum,  
2 ubi cum ripa altercantur rivuli.  
3 Sed in antro sese expandit proximo,  
4 ubi Strymon saeva eructat proelia.
- T8\_41 v.1 Nec comas vibrat, neque delicato  
2 ventilat tinctas Cilicum liquore,  
3 sed bene impexos dat habere ventis,  
4 e quibus nautae faciant rudentes.
- T8\_42 v.1 Non Andabatas fuscinaeque Gracchi  
2 tentat, vel equos Essedariorum :  
3 sed vera movet, sed severa bella,  
4 sed qualia sunt Teutonum cruenta
- T843 v.1 Non balneorum solvitur tepore,  
2 nec nudat artus abluitque Baiis :  
3 sed membra nivibus infodit ; vel alti  
4 explorat undis Allemanna Rheni.
- T8\_44 v.1 Non ut Agenoris proles abripitur  
2 per mare Tauricum, ridens et lacrimans !  
3 Sed vanere improba incensos mille Joves,  
4 mille Joves boves vincat, mille procos.
- T8\_45 v.1 Non caput aedificat, avisque plumis  
2 barbaricae galeam aciesque crispas :

- 3 sed sine casside ruit in phalanges.  
4 Cauda nigros cohibet equina crines.
- T8\_46 v.1 Non tangit aras simulans, nec Jovis saxum  
2 infamat ulla sceleris Punici fraude :  
3 sed servat aequum Themidis, nec fidem frangit,  
4 Pacemque bello, et gladiis jura praeponit.
- T8\_47 v.1 Non icta glande clamat, ah ! succumbimus,  
2 et destinatae mortis accusat globum :  
3 sed luculentum nacta vulnus, funebres  
4 grates agendo recta it ad convivium.
- T8\_48 v.1 Non explicati cenat astra pavonis,  
2 aut consularis rumpit amphoram Bacchi :  
3 sed aliatum prandium super stiva,  
4 mixtamque costam concava manu libat.
- T8\_49 v.1 Non molles cathedras furta canentis amat,  
2 non Helenas inter Briseidesque sedet :  
3 sed volat excussis pulverulenta comis ;  
4 miles Io ! Miles, torva puella canit.
- T8\_50 v.1 Neque sistitur praeda, veluti doloso  
2 Atalanta pomo, per juvenem sagacem :  
3 sed ut Eurus instat Sarmatiaeque turbo,  
4 resonatque veni, vidi, acieque vici.
- T8\_51 v.1 Non animi bonis praeponit caduca,  
2 aut hilaris breves stulte insanit horas :  
3 sed potiora : magna, aeterna, vera  
4 gaudia sperat, et virtuti laborat.
- T8\_52 v.1 Non temerat sacros vates, nec artem  
2 spernit Apollinis plectro sonantis :  
3 sed quia vivida signanda cedro  
4 patrat, amat novem Deas et ornat.
- T8\_53 v.1 Nec opacam platanorum subit umbram,  
2 Cereris dum coquit agros Canis astrum :  
3 sed in aestu spatatur ; vel ad oras  
4 Aquilonis, super Ursam rotat hastas.
- T8\_54 v.1 Non lumina blanda, qualium Venus est auctor,  
2 et pusio nequior pharetriger, accendit :  
3 sed tecta laresque perfidos inimicorum  
4 in pulvere versat, ignibus superinjectis.
- T8\_55 v.1 Non ut Persa suos exornat acinaces  
2 formosis phaleris et fulgure balthi :  
3 sed frustrum chalybis contorquet in agmina  
4 Turcae, quale dedit mons, et faber et focus.
- T8\_56 v.1 Non digito infringit citharas, quibus usus adulter  
2 Priamides, nullasque pilas exercet in aura :  
3 sed pilis ludit. Quibus et Pharsalia lusit,  
4 ferreaque exonerat tonitrali classica nube.



- T8\_57 v.1 Non petit veniam, nec oscula donat hosti  
2 capta, nec timet arma stricta, rogatque vitam ;  
3 sed jacens etiam tyranno animosa dicit :  
4 i feri. Repeto. Feri impavidam securis.
- T8\_58 v.1 Non serit scelerum profana germen in Cypro ;  
2 nec favum, nec apes Amorum, nec rosas quaerit :  
3 sed novam segetem Virorum ex dente Cadmaeo,  
4 hostium rapido per agros irrigat tabo.
- T8\_59 v.1 Non ebur sectum petit Afri, niveosque dentes  
2 Indici barri, neque mensas citreas rotundas :  
3 sed gravem discum jacit, et Massagetae corusca  
4 Gesa : procudit gladios et jaculum Gelono.
- T8\_60 v.1 Non solet, ut quidam, tantum modo submovere muscas,  
2 aut cum Thyrsigeris ululantibus ire per tabernas :  
3 sed Patris Patriaeque suae decus, et focos et aras  
4 defendit, magnamque animam sitientibus propinat.
- T8\_61 v.1 Non tantum canibus, vel maculis gaudet Oreadum,  
2 quas tendat capreis, aut pavidis stare cuniculis :  
3 sed vastam et Nemeen evacuat. Vel Calydonium  
4 insectatur aprum, docta truces sternere belluas.
- T8\_62 v.1 Non cygnaea stagna pervagatur aureis phaselis ;  
2 ut jocetur otiosa, mollis in freto Canopi :  
3 sed tridente, sed triremibus Thetin quatit profundam ;  
4 verberat marina monstra, ut ejulent, et imprecantur.
- T8\_63 v.1 Non Phrygum pudenda quaerit orgia nota Pentheo,  
2 quaeque mater Dindymene vel Mimallon entheat :  
3 sed severa cum furorem furere vult, pulchre furit ;  
4 sternit arces delet urbes quae minantur Regibus.
- T9 v.1 Roma vale, nostrique memor da thura secundo  
2 intemerata Deo, spicasque incende Sabaeas.  
3 Vestaliter in igne recens et candida mica  
4 exsiliat : vittis ter circum mollibus aram  
5 pendentes evincta comas, verique sacerdos  
6 augur eat. Tibi se Caesarque et Caesare natus,  
7 et quas suscipiet Mundi commendat habenas.  
8 Sentiatis triplicis clementia sidera mitrae,  
9 urbanique tui claves gavisus adoret.  
10 Aspice : nunc iterum supplex Germania palmas  
11 tendit, opemque petit. Dolet ad sua castra redire,  
12 bellaque jam quarto plus quam crudelia lustris,  
13 omnia strage rubent, galeis oppleta sepulcra  
14 agricolam fraudant, adimuntque cadavera campos.  
15 Arma crepant, quoties glebas invertit ; et hastas  
16 saepius, et calvas timide proscindit aratro.  
17 Sanguine nutritur seges infectura Colonum,  
18 prae Cadmi spicis et ahena messe timenda.  
19 Uxores hosti pariunt : qui nascitur haeres,  
20 terret, et infamat cunabula Suecicus infans,  
21 vagituque suam jam plectit ad ubera Matrem.  
22 Virginis in faciem rabies petulantior ardet,

23 quae vultu melior ; servit, propriaeque subacta  
 24 supplicium formae patitur. Furiosa voluptas  
 25 lascivit poenis, tormentaue reddit amori.  
 26 A Venere ad caedes itur. Vindemia saevit :  
 27 barbara funereis dapibus convivium fumant,  
 28 ultra damnatas caligatura Mycenae.  
 29 Profuerat Diomedis equos immittere prae  
 30 Teutoniae, et Siculi tolerare incendia Tauri.  
 31 Da castis precibus, da sternere, Roma, tyrannos,  
 32 quos juvat insontum jugulis immergere ferrum ;  
 33 et pedibus toties Alemannica subdere colla.  
 34 Sat Marti mortique datum ; sat tristibus astris.  
 35 Sit praeter gladios aliud Jus mitius. Illum,  
 36 illum devoveo diris qui tigride peior  
 37 vibices rumpet veteres fontemque cruoris  
 38 solvet, et excisis lustrabit flumina venis.  
 39 Ergo ades alma Remi Soror, exorabile Numen  
 40 et semper placidos poscentibus annue vultus.  
 41 Sic Tiberis manetque oleo, lactisque sonoro  
 42 gurgite diffusus, Thuscas ad pocula Nymphas  
 43 invitet, vincatque Tagum praelatus Hydaspi.  
 44 Sic septem montes. Quos totus suspicit Orbis,  
 45 altius assurgant, ipsique aequentur Olympo.

T10 v.1 Dixit, et exsiliens curru comitesque relinquens  
 2 ingenti saltu sese libravit in aulam.  
 3 Quale repentinum (sed laeva parte) Tonantis  
 4 e manibus lapsum volat irrevocabile fulmen.  
 5 Quod simul evasit, simul ignea semita lucet,  
 6 et pavidis oculis totum simul ingerit orbem.  
 7 Aut qualis mandante Dea, si protulit Iris  
 8 e caelo lepidum caput ; it velocior Austris.  
 9 (Urget enim Juno), nam vix rorantia Phoebos  
 10 nubila contigerit ; jam jam suspenditur arcus.